

Postremo in judiciis aedilitiis superioribus, Ober- & Untergang, quorum alterum subditis partis inferioris Stuttgartiae, alterum subditis partis superioris Tubingae designatum est. Ut taceam alterum carnificem Stuttgartiae, alterum Tubingae locatum esse.

§. 57.

Quarto describitur Ducatus in possessiones ecclesiasticas et praefecturas seculares. *IV. in praefecturas eccles. et seculares.*

Possessiones ecclesiae Wirtembergicae constant partim ex monasteriis virilibus, partim ex coenobiis quondam monialibus, aliisque piis fundationibus. Priora cum suis vicis, agrisque et municipibus, Kloster: Hintersassen, constituunt praefecturas ecclesiasticas, sin exceperis monasteria, Kloster: Verwaltungen, Herbrechtingen et Maulbronn, quippe quorum prius caret vicis, posterioris autem praefectura jam inde à prima occupatione D. Ulrici praefecturis adnumeratur secularibus, inter Status seculares in comitiis provincialibus locum suum occupans. Monasteriorum virilium sequentia sunt. 1. Adelberg. 2. Alpirspach. 3. Anhausen. 4. Bebenhausen. 5. Blaubeuren, das Kloster mit seinem Amt. 6. Denckendorf. 7. Herbrechtingen. 8. Hirfau. 9. Koenigsbronn. 10. Lorch. 11. Maulbronn. 12. Murrhard, excepta civitate, utpote Statibus secularibus adscripta. (vid. §. 16. n. 1. supra) 13. Herrenalb, quod simul comprehendit praefecturam Merklingen,

I

gen,